

# FLORA.

Nº 35.

Regensburg. 21. September.

1846.

Inhalt: Manganotti, über die Vegetation des Monte Pastello bei Verona. — Hammerschmidt, Andeutungen über das Pflanzen-Zellenleben. — Klotzschii Herbar. viv. mycologic. C. IX. et X. cura L. Rabenhurst. — Sitzungen der botanischen Societät zu Edinburg.

AZEIGEN von Oenicke in Düsseldorf und Meissner im Hamburg.

## Ueber die Vegetation des Monte Pastello bei Verona.

Eine pflanzengeographische Skizze aus einem Schreiben des Hrn. ANTON MANGANOTTI in Verona an die königl. bayer. botanische Gesellschaft in Regensburg.

Quod multa jam abhinc tempore erat in votis, ut observantiae meae tibi, Clarissime Praeses, Societatis tuae argumentum quodammodo praeberem, en hodie exequor tandem, dum has rariores agrí veronensis botanicas stirpes isto illustrissimo Botanicorum collegio mittendas curo. Multas praeterea, et etiam haud vulgares mittere poteram, at mihi propositum fuit eas tantum diligere, quae, vel florae veronensis, vel Italiae borealis indigenae stirpes dici possent. Ex hoc intelligendum tibi erit me potius paucas et raras, quam multas et inutiles plantarum species mittere voluisse.

Dum vero has ego stirpes pararem, ac multas in Provinciae veroneensis monte *Pastello* leclas viderem, aliquid de hoc monte dicendum esse intellexi, ne ab hexternis prorsus ignoraretur. Plura de Baldo monte ab antiquis doctisque viris Calceolario, Pona, Seguierio, et aliis, ac tandem a clarissimo Pollinio nostro dicta sunt, sed de Pastello nullus unquam sermo factus, cumque aliis montibus implicitus reperitur, quem tamen quibusdam de causis distingui mereatur. Quamobrem nunc de hoc breviter loqui, ni tibi grave sit, operae praetium existimo.

Mons Pastellus (eujus nominis etymologiam, veluti scientiae inutilem, querere omitto) distat ab urbe Verona millia passuum XI occasum et septemtrionem versus. Patet latitudine millia passuum

III, ac longitudine millia passuum VII attingit, spinam efficiens parallelam Baldo monti, a quo valle per quam disfluit Athesis flumen (quaeque ideo *Athesina* nuncupator et etiam *Lagarina*) sejungitur.

Eadem Pastello ac Baldo monti adscribi potest origo, nam iisdem geologicis formationibus uterque constare certum est, quos una ac eadem χαταξρΦη olim extollit. Saxum ex quo totus constat mons calcareum, attamen multis diversisque depositionibus adscribendum, ex quibus antiquior, quaeque ad radices montis conspicitur, Neocomianas depositiones aequare aetate censeo. Hic lapis, in quo quandoquidem marinae multorum generum conchae, et praesertim Ammonites inveniuntur, statuorio ac architectonio usui inservit, et assidue magno foenore extrahitur. Extrahitur alios etiam lapis in quo Radalia Echinoderma, praesertim familiae *Spatangorum*, ut *Ananchytes*, *Schyzastera*, *Micastera* aliaque fossilia reperiuntur, et sedimentis superioribus calcareis adscribi debet. Hic saxo Neocomiano insidet, et e stratis tenuioribus constituitur, ita ut ab immemorabili tempore ad vias Veronae sternendas in usu veniat. Haec saxa praecipue memora sunt; multa praeterea ibi etiam alia inveniuntur, et praesertim *calcarea marnosa*, inter rupes sedimenti calcarei superioris recensenda. Basalthen vero *amorphum*, quod duobus in locis hujus montis conspicitur, et a quo lapis calcareo-marnosus schistiformis subvertitur, partiale accidens tantum, nec cum majori *catastrophe* confundendum videtur.

Sed mihi dicendum praecipue est de hujus montis botanicis productionibus. Vere rariorum stirpium specimina hic colligenda curavi, attamen notatu digniora nunc recensenda existimo. Has tantum memorare constitui, de caeteris vulgarioribus tacebo.

Tota ea pars montis, quae ab asperis praeruptisque scopulis non occupatur, nemoribus tegitur, quae in demissioribus locis e Quercubus fere omnino conflantur. Haec praecipue sunt *Quercus Robur*, *Aesculus L.*, *pubescens* Willd. At in editioribus locis *Fagus sylvatica*, *Acer Pseudoplatanus*, *Carpinus Betulus*, *Corylus Avellana L.* sylvas rariores ac dumeta constituunt.

Quisquis interea Botanicus, res herbariae gratia, huc adeat, ad extremas montis radices meridiem versus, inter non vulgares Orchidearum stirpes, inter quas notandae *Orchis tephrosanthos* Vill., *mascula*, *globosa* L., legendum apprime inveniet *Helianthemum pulcherrimum* DeC. At si praeruptum senticosumque calle ascendat, qui inter scissas a vertice rupes aperitur, supra arcem, quam la Chiusa

incolae appellant, ibi inveniet rariores species quae colliget. Hae praesertim sunt: *Campanula petraea*, *C. spicata* L., *Phyteuma Scheuchzeri* All., *Apargia incana* Willd., *Silene Sibirica*, *Hysopus officinalis*, *Arenaria bavarica* L., *Galium cinereum* All., *Centranthus ruber* DeC., *Ferula Ferulago*, *Arabis Turrita* L., *Rosa dumetorum* Reich. aliaeque minoris momenti. Ubi vero scopuli rariores sunt dumeta passim exurgant in quibus species erebriores sunt: *Quercus Ilex*, *Pistacia Terebinthus*, *Cercis Siliquastrum*, *Fraxinus Ornus* L. Hic quoque notatu digna *Centaureae* species. Quum hanc ego legerem in dubio certe non haesi quin esset *Centaurea splendens* L.; anthodii enim squamae scariosae ac mucronatae, quales in tali specie esse debent, at sic apice lacerae apparent, ut fere ciliatae videantur; ob quod ad *Centauream paniculatam* accedit.

Dum autem montis latera sub culmine perlustramus in plerasque stirpes botanicas, et quidem raras incidimus, ex quibus notandae praesertim sunt *Plantago Victorialis* Pers., *Digitalis lutea*, *Cytisus argenteus* L., ac illa omnium pulcherrima *Malva Morenii* Pollini. Cum adscendendo pergimus aliae nobis stirpes occurunt, praeceps *Festuca montana* Sternb., *Calamagrostis sylvatica* PB., *Iris graminea* L., *Digitalis ambigua* Marr., *Euphrasia tricuspidata* L., *Myosotis alpestris* Hopp., *Gentiana acaulis*, *G. ciliata*, *G. cruciata*, *G. verna* L., *G. germania* Willd., *Valeriana tripteris*, *Astrantia major*, *Athamanta cretensis*, *Aconitum Lycocotonum*, *A. Anthora* L., *Ranunculus montanus* Willd., *Helleborus foetidus*, *Dentaria enneaphyllos*, *Spiraea Aruncus* L., *Cotoneaster vulgaris* Lindl., *Rosa arvensis* Huds., *Alyssum myagroides* All., *Cytisus hirsutus* L., *Astragalus pastellianus* Poll. Species haec longe omnem rarissima, ac diligentissime observanda. Hanc Pollinius recensuit in sua *Flora veronensi* P. II. pag. 500. et veluti *Astragali vesicarii* L. varietatem eam designavit. Ipse vero nunquam in solo natali speciem vidit, ac speciminibus tantum allatis eam determinavit. Ex inspectione vivae plantae, quam ego etiam mecum transtulsi, et excolui, facile perspexi immutabilem esse, et habitu, indumento, foliis, ac praecipue leguminibus maturitate calyce duplo longioribus ab *A. vesicario* differre. Hae melius cognovi e speciminibus *A. vesicarii*, quae e Dalmatia, Liguria, ac Piceno Italiae accepi, quae cum omnia inter se omnino convenient ab hoc nostro magnopere differunt. Pariter hic ab *Astragalo albido* W. K. differt habitu

toto. et praesertim foliis, quae in *albido* fere obovata, in *pastelliano* tauem elliptico-acuta conspicuntur. Itaque hanc ego sententiam fero, ut, nisi pro distincta specie possit haberi, tamen pro *A. vesicarii* eximia varietate, atque habitu constanti et singularibus notis praedita, certe habeatur.

Aliae denique stirpes crescunt in summo vertice. Hic a mari plus metris MC. measurae gallicae attollitur, ac, ob scopulos e solo eminentes plerumque difficilis, a septemtrionibus scinditur, et quasdam efficit valleculas aquiloni oppositas, in quibus rarae species leguntur. Ex his recenseri possunt: *Carex mucronata* All., *Allium ochroleucum* W. K., *Orchis pallens* L., *Gymnadenia odoratissima* Rich., *Primula officinalis*, *Galium rubrum*, *Campanula Alpini*, *Hieracium porrifolium* L., *Bellidiastrum Michelii* All., *Scabiosa graminifolia*, *Valeriana saxatilis* L., *Viola Allionii* Pio, *V. sylvestris* All., *Potentilla caulescens*, *Rosa alpina* L. aliaeque stirpes, de quibus, ne plus aequo prolixior sim, tacebo.

Huc usque de re herbaria. Si vero de Zoologia loquimur, pa- rum sane dicendum est, attamen notatu digna *Falconis* species, quae in hujus montis sylvis opacis quotannis nidificat. Haec species *Falco brachydactylus* Temminck vel *F. gallicus* L. nunquam in provincia nostra notata, nec in Baldo quidem monte, quamvis indigena. De aliis avibus, quae certis anni tempestatibus illic inveniuntur, praetereundum credo; nec de Mammalibus quidquam dicendum est, ac inter Reptilia memorari potest tantum *Coluber Berus* L., qui odiose sylvulas humentes haud minimo transeuntium periculo incolit. —

Haec de monte Pastello dicenda breviter censi, ne ignotus prorsus remaneret, utque Geographiae botanicae quodammodo inserirem, quoniam multas in hoc monte lectas botanicas stirpes rei herbariae cultoribus missem.

Dabam Veronae VIII. Calend. Martii MDCCCXXXVI.

---

### Andeutungen über das Pflanzen-Zellenleben. Von Dr. Carl E. HAMMERSCHMIDT in Wien.

In der Pflanze beschränkt sich der Organismus in seiner Wesenheit auf die Bildung von einzelnen Zellen. Die Pflanzenzelle ist ein zur Selbstständigkeit gelangtes Einzelnwesen, sie ist, wie Endlicher in seinen Grundzügen der Botanik bemerkt, der erste materielle Lebenskeim der Pflanze, und bildet nicht nur in manchen

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1846

Band/Volume: [29](#)

Autor(en)/Author(s): diverse

Artikel/Article: [Ueber die Vegetation des Monte Pastello bei Verona. Eine pflanzengeographische Skizze aus einem Schreiben des Hrn. Anton Manganotti in Verona an die königl- bayer. botanische Gesellschaft in Regenburg 545-548](#)